



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XXV. Argumentum. Explicat præsens Decisio. Quid sit Usura? Quare sic sit dicta? Quotuplex sit? Et quot, ac quibus legibus sit prohibita?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

relinquere eidem beneficiario ratas, pro fructibus hujus anni exigendas ad Festa Natalis Domini. Quæritur, an hoc pactum sit Simoniacum? Aegre tulit Curia, dum in figillandis Decisionibus debuerit plurimos fugillare Decifores, qui non benè examinato præfenti casu, eoque minimè intellecto, erranti calamo responderunt, dictum pactum esse Simoniacum, ac continere Simoniam Confidentialem. Porro doctissimi Parochi, quorum ingens numerus Ecclesias hujus amplissimæ Diocesis regit, summo cum gaudio Eminentissimi Præfatis, censuerunt, idem pactum ab omni Simonia labe purum existere, ac idè licitum, & irreprehensibile fore. Pro hujus responsi justificatione, tria subtiliter observarunt. Unum, quod Simonia non inducitur per pactum Juri conforme, seu continens id, quod de Jure tacitè inest, cap. Significasti, ubi gloss. & DD. De elect. Sanchez in opus. moral. lib. 2. cap. 3. dub. 25. num. 9. Rota coram Buratt. decis. 445. num. 2. Alterum, quod in resignatione beneficii ad favorem, resignans percipit fructus maturandos usque ad diem possessionis resignarii, quia Jus, & possessio non abdicatur à resignante, sed penes ipsum remanet in pendenti, donec conditio, sub qua fuit resignatum, purificetur, ac Resignatarius plenè, ac perfectè etiam per captionem possessionis adipiscatur beneficium, Rota coram Coccino decis. 858. num. 5. Antonell. de Regim. Ecclesiarum lib. 3. cap. 10. num. 19.

24 Tertium, quod in dividendis fructibus inter resignantem, & resignarium, sicut etiam inter successorem beneficii, & hæredes defuncti, si fructus fuissent antea locati, non consideratur dies solutionis affectus, sed tempus perceptionis fructuum pro quibus affectus solvitur; ita ut, etsi nondum advenerit dies solvendi ratam affectus, quando beneficiarius moritur, vel resignat; si fructus jam erant maturati, & percepti, rata affectus debetur resignanti, vel hæredibus Defuncti; non autem resignatario, vel successori in beneficium. Bonacina tom. 1. De obligat. benefic. disp. 4. punct. 3. num. 8. Antonell. ubi supra lib. 3. cap. 9. num. 22. Rota coram Cavall. decis. 104. num. 5. & 6.

His ita præcognitis, & consideratis, dixerunt dictum pactum nequaquam esse Simoniacum; imò licitum, & irreprehensibile; quia cum resignatio beneficii fieret in Mense Decembri (ut supponitur) fructus jam erant maturati, & collecti; sed ratæ affectus pro iisdem non solvebantur, nisi in Natali Domini pro majori commodò conductoris eorundem fructuum; idè de Jure spectabant ad ipsum resignantem; tantò magis, quia resignatarius non poterat obtinere possessionem beneficii in executione resignationis, ante festa Natalitia, cum sint expectanda Bullæ Papales, & ab executore exequenda cum longioris temporis dispendio. Igitur licitè potuit dictus resignans exigere Juramentum à resignatario, sibi relicturo ratas pro fructibus hujus anni, exigendas ad Festa Natalis Domini; prout in terminis respondent Theaur. de Pœnis d. part. 2. Verb. Simonia, cap. 2. in fine, & Antonell. d. cap. 10. num. 20. & 21. Et ex his constat, allucinatos esse illos, qui dixerunt, esse Simoniam confidentialem, tunc enim fuisset, quando resignans pactus esset exigere fructus maturandos annis sequentibus post expeditam resignationem. Theaur. ubi supra cap. 3. num. 2.

AD CASUM PRUDENTIALEM.

Inveniantur omnes modi adhibendi à Parocho ad ex-25 citandam in populo devotionem erga Sacrosanctam Synaxim; Ut piè concurret ad eam sociandam præcipue quando desertur ad Infirmos.

Sequentes collegerunt. 1. Frequens prædicatio de hoc AUGUSTISSIMO SACRAMENTO, & affectuosa exhortatio ad ejus Venerationem; prævia explicatione eximie charitatis Dei in nos; nam nulla est natio tam grandis, qua habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis. Deut. 24. 2. Notas facere Indulgentias concessas à Summis Pontificibus in associatione SS. Sacramenti. 3. Ostendere, quàm pium, & meritum sit hoc opus, in quo fulget fides nostra. 4. Proponere exempla Principum, & Magnatum terrenorum, quorum famuli, & Aulici tanta promptitudine eos comitantur in via. 5. Certos facere populos de Dei beneficentia in eos, qui venerantur Christum Dominum, verè, & realiter in Eucharistia existentem, & hujus rei exempla depromere ex Auctoribus Ecclesiasticis, utpotè Annalibus Cardinalis Baronii, ex libro Nicolai Laghi de SS. Sacramento, ex Rosignolo de SS. Sacram. & Mathiolo part. 2. 6. E contra enarrare punitiones, & vindictas in eos, qui indevoti fuerint erga Divinissimum hoc Sacramentum. 7. Enunciare odium, impias derisiones tum Judæorum, tum Novatistarum, quorum perfidiam supplere debet pietas, & devotio fidelis populi. 8. Proponere unicuique fidelium, in extremo vitæ Christum Dominum non esse permissurum, ut absque Divino Viatico ex hac vita discedat ille, qui fuerit sollicitus in obsequendo, & associando Sacram Hostiam. 9. Satagere, ut tam in Ecclesia, quàm extra Divinissimum hoc Sacramentum pertractetur summa cum veneratione; & decencia; Idèque Parochi omnes velint omnia pretiosa esse, quæ concernunt Sacram Eucharistiam, & erga illam sint liberalissimi expendentes in ornamentis sacris, ut eorum exemplo populi discant, Redemptorem Nostrium in Sacramento corde, & opere revereri, & venerari. Legant omnino P. Carolum Rosignolum Meraviglie di Dio nel Divinissimo Sacramento impressum Bononiæ Anno 1702.

D E C I S I O XXV.

A R G U M E N T U M.

Explicat præfens Decisio Quid sit Usura? Quare sic sit dicta? Quotplex sit? Et quot, ac quibus legibus sit prohibita?

S U M M A R I U M.

1. Usura definitio.
2. Usura unde dicta; & qualis ejus etymologia?
3. Usura quotplex sit.
4. Usura quo jure sit prohibita.

Usuraum materiam, Anno 1685. Clero Patavino enucleandam in pluribus quæstis, ac casibus propositam, prompto animo, ac indefesso studio aggressi sunt Animarum Rectores, ac Confessarii; ex quorum eruditis responsis Decisiones præfentes, etsi minori temporis Usura, quàm opus fuisset, deprompsimus. Itaque quæsitum fuit primo. Quid sit Usura?

Ad hoc Primum Quæsitum, Quid sit Usura? 1 plurimi

plurimi plurimas definitiones obtulerunt, à Theologis, Canonistis, ac Casuum Conscientiæ Auctoribus desumptas: quas quidem Curia Episcopalis intuita, ac venerata, breviter gratia illam est amplexa, quæ ponitur à Domin. Soto de Just. & Jure lib. 6. quæst. 1. artic. 1. post initium, videlicet, *Usura est pretium usus mutuatæ rei*. Dicitur Pretium, quod resultat ex pacto expresse, vel tacito occasione mutui: quia si quid provenit non ex pacto, sed ratione vel lucri cessantis, vel damni emergentis, vel ex mera liberalitate mutuarii, non est Usura; siquidem, licet sit lucrum, non est pretium; prout etiam si quod antea debebatur, ex conventionione mutui à mutuante creditore recuperetur. Dicitur, Pretium usus, ad exclusionem emptionis, & venditionis; in qua pretium non pro usu tantum, sed pro re ipsa penditur. Dicitur Mutuatæ rei: ut excipiamus emphyteusim, livellum, locationem, commodatum, depositum, traditionem pecuniæ ad pompam tantum, & ostensionem, ac alios contractus, in quibus dominium rei saltem directum, non transfertur, & in eis lucrum, & pretium potest dominio pacisci absque sceleris labe. Usura autem dicitur vel ab *Usu*, eo quia ob usum rei mutuatæ exigatur pretium, vel ab *Usu aris*, nam principaliter committitur in mutatione pecuniæ. Vel quasi *Usu rea*, seu *Usuram* arens, aut *Usuram rapiens*; & appellatur etiam *Fœnus* quasi *Fœnus animarum*, vel à Vocabulo græco τὸν αἶμα τοῦ τίκτω quod est *Pario*, quia sicut animalia proles sibi similes pariunt; sic & pecunia pecuniam; & Hebraicè vocatur *Nefech*, id est morsus, quia mordet substantias familiarum, ut eruditè docet P. Stephan Menoch. *Struor*. pag. 5. cap. 60. P. Sylvest. Maurus in *Comment. ad libros Arist. Polit.* 1. cap. 7. num. 4. tom. 2. Sotus de lib. 6. quæst. 1. art. 1. Goffred. & Hostien in *summ. de Usur.* §. 2. Mar. Socin. *cod. tit. in Comment. super 5. Decret.* cap. 1. num. 10. Covarr. lib. 3. *Farinac.* cap. 1. num. 5. & latè Leotard. de *Usur. quæst.* 2. ubi malitiam, & improbitatem Usuræ, ac Usurarium pluribus doctis discis exponit.

SECUNDUM QUÆSITUM.

Quotuplex sit Usura?

AD secundum Quæsitum. Quotuplex sit Usura? Relatæ fuerunt sequentes divisiones. I. Quod alia est spiritualis, & æqua: alia corporalis, & injusta. Mar. Socin. d. cap. 1. de *Usur.* num. 17. Prima consistit in eleemosynis ex Dei amore factis, quarum causa centuplum redditur ab ipso Deo. cap. Sicut dist. 46. cap. *Medicina*. De Penit. dist. 1. II. Corporalis, & injusta est triplex Mentalis, Exterior Explicita, & Exterior Palliata. Usura Mentalis est, quando quis retinet in mente intentionem suam mutuari ob lucrum. Exterior explicita est in manifesto Mutui contractu lucrum pacisci. Palliata verò, cum contractu ipse mutui palliatur, id est velatur nomine seu figura alterius contractus, pura Emptionis, Venditionis, Livelli, sed verè, & propriè est Mutuum. Molin de *Justit. & Jur.* tom. 2. disput. 303. Tambur. de *Triplici jur.* lib. 9. tractat. 1. capitul. 2. III. Usuræ in jure aliz sunt Trientes, aliz Quincunces, aliz Semisses aliz Besses, aliz Centesimæ, Primæ

erant, in quibus quatuor pro centenario solvebantur, Quincunces, in quibus quinque Semisses, in quibus sex dabantur pro centum. Besses in quibus octo. Centesimæ, in quibus unum pro centenario solvebatur singulis mensibus, adeo ut in centum Mensibus tanta erat usura, quantum capitale. Gloss. in cap. *Quoniam* 46. dist. 1. Eos. C. de *usur.* l. Nihil. §. 1. ff. de *Nautic. fenor.* Mar. Socin. d. tit. de *Usur.* cap. 1. numer. 11. Genuenf. in *Practicabil. Eccles. quæst.* 402. Reginald. lib. 23. sub numer. 48. & Scaccia de *Commerc.* §. 1. quæst. 7. Ampliat 8. num. 53.

TERTIUM QUÆSITUM.

Quo jure prohibita sit Usura?

AD Tertium. Quo jure prohibita sit Usura? Concorditer dixerunt; omni jure, videlicet Divino, Naturali, Canonico, Civili, ac Municipali esse prohibitam. Scaccia de *judic.* lib. 2. cap. 9. numer. 554. & de *Commerc.* §. 1. quæst. 1. num. 401. M. Anton Peregr. lib. 3. consil. 18. num. 5. & 6. & lib. 4. consil. 71. num. 1. Jus Divinum Usuram vetat, & damnat in Veteri Testamento Levit. cap. 2. Esdr. 2. cap. 5. Psalm. 14. & Psalm. 54. Proverb. 28. & Ezech. 18. & testatur cap. Super eo, & Consult. De *Usuris*. Adeo ut Papa non possit dispensare super Usura. Fagnan in cap. Cum quidem num. 82. de *Pactis*. Pignatell. Consult. 75. tom. 4. Neque obstat Deuter. 23. Non fœneraberis fratri tuo ad *Usuras*, sed alieno. Nam ly alieno secundum aliquos non legitur in textu; vel intelligitur permissivè, sicut Meretricium: vel procedit ex auctoritate Dei, dominium rerum gentilium in manus Hebræorum transferentis, ut autumnant DD. quos refert Bonacin. de *contractibus* disp. 3. quæst. 2. punct. 2. num. 12. & tradunt Reginald. d. lib. 23. num. 57. Pignatell. d. tom. 4. consult. 75. num. 46. Cornel à Lapide d. cap. 23. Deut. & Menoch. d. part. 5. *Struor.* cap. 60. In Novo autem Testamento prohibetur Usura in Evangel. Luc. 6. ibi, Mutuum date, nihil inde sperantes. Neque obstat illud Luc. 19. Et ego veniens, cum *Usuris* utique exegissem illam. Nam ex D. Thoma 2. 2. q. 78. art. 1. ad prim. Usura ibi accipitur metaphorice, pro super crescentia bonorum spiritualium, quia vult Deus, ut in bonis ab eo acceptis semper proficiamus.

Jus Naturale prohibet Usuram, nam naturaliter res mutuo data non potest mutuant fructificare, tum quia res ipsa est sterilis, tum quia mutans non est amplius dominus, ut adverterunt Philosophi lumine naturæ, quos refert Leotard. de *Usur. quæst.* 2. & P. Maurus in *Comment. ad Arist. Politic.* 1. cap. 7. num. 1. tom. 2. ubi sic ait: Cum duplex sit facultas acquirendi, Oeconomica nimirum, & Pecuniaria. Oeconomica est laudabilis; Pecuniaria est vituperabilis; Ratio est, quia illa est à natura; hæc est ab homine, qui non utitur nummo ad eum finem, propter quem institutus est; sed ad alium finem; nummus enim non est institutus, ut pariat nummum, sed ut commutetur cum mercibus naturalibus. Idem notat Reginald. d. lib. 23. a num. 56. & seqq. Pignatellus dict. tom. 4. consult. 75. num. 30. & Marcus Socin. de tit. De *Usuris* a num. 30. usque 55. ubi decem & novem rationes assignat, quibus Usura est intrinsecè mala, & jure naturali prohibita.

Jus Canonicum Usuras explodit tota dist. 47. & 14. quæst.

14. *quæst.* 3. 4. & 5. nec non *Tir. De Usuris in Decret. in Sexto, & in Clem. quibus addendæ sunt Const. 79. S. Pii V. & Const. 45. Sixti V. Summ. Pontific.*

Jus Civile consonum est à tempore Justiniani Imperatoris, ut notat Reginald. d. lib. 23. num. 48. & docet Bald. in l. *Improbum & ibi Salycet. & Paul. de Castr. ff. ex quib. causis infam. irrogetur.* Marquard. de *Judaïs cap. 11. Jul. Clarus §. Usura num. 4. ac alii, quos cumulat Jacobus Pignatell. dict. tom. 4. Consult. 75. num. 19. & probat Scaccia de *Commerc. §. 1. quæst. 1. num. 401. & quæst. 7. part. 2. num. 43. 44. 45. & concordat Tacit. lib. 5. Annal. quem refert Thom. Garzoni in Platea Vinu. Disc. 65. ubi etiam Cato de Re Rustica ait: Majores nostri hoc habuerunt, & ita in legibus posuerunt, furem dupli condemnare, feneratorum quadrupli.**

Jus Venetum refertur à Lauren. Priori in sua *Praxi Criminal. tit. de Usuris pag. 187. ubi plurima allegantur Decreta Excell. Senatus insurgentis contra Usurariam pravitatem.*

Jus tandem Municipale Patavinum habetur in *Statutis pag. 94. sub Rubric. De Alienat. & Obligat. ubi sic: In odium Usuraria pravitatis statuimus, & ordinamus, quod aliquis de cetero non debeat feneratori, seu mutuare ad Usuras aliquo modo per se, vel interpositam personam; & quicumque contraxerit, condemnatur ad perdendum, & perdat ipso jure, & facto totam veram sortem, & quicquid exinde habere debuerit.*

D E C I S I O XXVI.

A R G U M E N T U M.

Probatur, esse Usuram vendere triticum determinato pretio post certum tempus solvendo; sed cum pacto, ut tempore solutionis possit venditor tenere, vel pretium, vel triticum ad sui beneplacitum.

S U M M A R I U M.

1. *Usura quomodo, & quando committatur in mutuo?*
2. *Mutuum quando esse dicatur?*
3. *Mensura grani tot restituenda, quot mutuata.*
4. *Obligatio eo modo dissolvitur, quo fuit contracta.*
5. *Pacto de retrovendenda re venditori eodem pretio, an sit licitum?*
6. *Usura non est pacisci quod est de Justitia debitum.*
7. *Pretium rei taxandum juxta tempus contractus.*
8. *Usura est expectare plus, quam sit datum.*
9. *Obligatio pretio æstimabilis non imponenda mutuatario.*
10. *Æqualitas servanda in contractibus.*
11. *Valor rei augetur Domino ejus.*
12. *Venditor ob dilatam solutionem pretii an quid recipere possit?*
13. *Differentia inter forum fori; & forum poli.*
14. *Debitor in alternativis habet electionem.*
15. *Pretium rei ubi firmatur, ibi mutuum esse non potest.*

Antonius mutuo recipit modia quatuor frumenti à Francisco, mense Octobri, quo venditur ab omnibus Ducatis decem pro modio; & hoc pactum faciunt, ut mense proximo venturo Augusto restituat vel ipsa modia quatuor frumenti, vel Ducatos quadraginta, ad electionem ipsius Francisci. *Quæritur An licitè faciant?*

Visus est omnibus casus iste ambiguus valde. Plures argumentati sunt, Franciscum licitè contraxisse, quia vel fecit, contractum Mutui; vel Venditionis tritici credita pecunia; In neutro contractu videtur adesse Injustitia. Ergo in neutro intervenit Usura. Minorem probant, stando in contractu Mutui; ex seqq.

Primò. Tunc in mutuo committitur Usura, quando recipitur aliquid ultra sortem, l. *Rogasti §. si tibi ff. Si cert. per. Fagnan. in Cap. Naviganti numer. 42. de Usuris.* Sed si Franciscus eligat restitutionem quatuor modiorum frumenti nihil eligit supra sortem; nam quatuor modios & ipse mutuo tradidit. Ergo nullam committit Usuram.

Secundò. Mutuum est contractus, quo rem nostram in numero, vel pondere, vel mensura consistentem damus alteri, ut ille tantumdem ejusdem speciei nobis restituat. l. *Mutuum ff. eod. & in Instit. Quib. mod. re contrah. obli. in princ.* Sed dum Franciscus eligit quatuor modios frumenti mense Augusto, eidem tantumdem ejusdem speciei restituatur. Ergo licitè facit.

Tertiò quando quis mutuavit rem ad mensuram, sive ejus valor crescat, sive decreascit, tot mensuræ sunt restituendæ mutuatori, quot receptæ fuerunt à mutuario. *Sot. de Just. & Jur. lib. 6. quæst. 1. artic. 2. Layman. lib. 3. tr. 4. cap. 16. num. 14. Tamburin. de Triplici Jur. lib. 9. cap. 1. §. 2. num. 7. Scaccia de *Commerc. §. 1. quæst. 1. num. 415. & Leotardus de Usuris quæst. 17. num. 3.* Sed Franciscus mutuatorem dedit modios quatuor frumenti Antonio mutuatario. Ergo ab isto potest quatuor itidem modios repetere.*

Quartò. Obligatio eo modo dissolvi potest, quo fuit contracta. *lib. 36. ff. de Reg. Jur. l. 1. C. Quando liceat ab empr. disced. Sed obligatio Antonii inita fuit receptione quatuor modiorum frumenti. Ergo eorumdem restitutione obligatio est dissolvenda.*

Quintò. Stando verò in venditione tritici, probatur minorem propositionem ita. Licitum est vendere rem suam cum hoc pacto, ut Emptor teneatur illam retrovendere venditori eodem pretio, & ipse venditor possit eodem pretio illam recuperare. *Cardinal. Tufchus tom. 6. Concl. 25. Bonacina tom. 2. de contractib. disp. 3. quæst. 1. punct. 3. num. 14.* Sed in nostro casu Franciscus repetendo quatuor modios frumenti ab Antonio, illos redimit eodem pretio, quo illos ipsi tradiderat. Ergo nullam committit Usuram.

Sextò. Tandem ille non committit Usuram, qui paciscitur id, quod sibi ex justitia debetur. *Molin. de just. & jure disp. 303. 304. & 309. Bonacina d. disp. 3. quæst. 3. punct. 3. num. 15. & Reginald. in Praxi. lib. 25. num. 191.* Sed Antonius ex justitia debet vel quatuor modios tritici, vel ducatos quadraginta, prout ab initio valebant. Ergo quicquid Franciscus ab eo petat, justè petit, & non committit Usuram.

Septimò. Quando res venditur pecunia creata, & solutione dilata, rei valor potest taxari, qualis est tempore contractus, & rei confectionis. *Tambur. d. lib. 9. cap. 1. §. 2. num. 10. & lib. 8. in Decalog. tract. 3. cap. 7. §. 6. per totum.* Sed in nostro casu pretium frumenti